

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XVI. Qualiter sue puellulae novitiae habeant.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

facturum putabat. Hoc maximum post mortem ejus impedimentum fuit. Religiosus enim nunquam adeo sapiens esse potest, quin se prælato suo in humilitate omni subijcere, et ejus voluntati in omnibus bonis oporteat consentire. Post hæc, cum iterum pro anima ejusdem Conversi Dominum exoraret, vidit animam ipsius in magna claritate, cæterosque Conversos tanta excellere gloria, quanta sacerdotes communem populum præcellunt dignitate. Et hanc prærogativam ex eo promeruit, quod speciali devotione et diligenti studio, ubicumque poterat, ad altare serviebat et sacerdotes tam cantu quam ministerio promovebat.

Gloria  
sacerdotibus  
devote  
servientis.

## CAPUT XVI.

## QUALITER SE PUELLULÆ NOVITIÆ HABEANT.

**B**ENIGNA charitate qua omnium semper memor fuerat, etiam pro Novitiis Dominum exorabat, quatenus eas in Religionis et veræ sanctitatis professione confirmaret; pro quibus tale a Deo responsum accepit: « *Inambulabo in eis et inhabitabo, et ipsi populus meus erunt.* (II. COR. VI. 16.) *Inambulabo in eis*, per sancta desideria, et bonam voluntatem earum. *Et inhabitabo in eis*, per amoris unionem. *Et ipsi populus meus erunt*, per bonam et laudabilem conversationem suam, et Ecclesiæ sanctæ profectum et augmentum. Omnes enim quos suo bono exemplo, virtutibus, aut doctrina attraxerint, et quos suis orationibus lucrata fuerint, pro Ecclesia orantes ut in melius proficiat, pro peccatoribus ut convertantur, et omnes animæ quæ precibus earum a pœnis liberabuntur, in numerum populi sui computabuntur. »

Quid  
Dominus  
Novitiis  
pollicetur.

Quibus  
studere  
debeant  
Novitiæ.

« In his quoque specialiter se studeant exercere : sæpius et devote orent ; divinam Scripturam libenter legant et audiant ; studiose laborent ; obedientiam et regulam cum omnibus sibi statutis diligentius teneant, et perfectam in omnibus humilitatem habeant, nulli se comparantes, et nullum omnino spernentes. Sicque dum orant, meam divinam voluntatem et quæcumque indigent eas docebo, et in lectione meam eas degustare faciam suavitatem. In laboribus quoque eas sanctificabo ; in obedientiæ et regulæ observatione eis compati et eas roborare atque coadjuvare volo ; et in humilitate earum in eis requiescere volo. »

---

## CAPUT XVII.

QUALITER CHRISTUS PROFITENTES IN SUOS SUSCIPIT AMPLEXUS.

Virtutes in  
Religiosa  
professione  
impetrandæ.

**I**N die autem professionis earum, cum iterum pro eisdem orasset, dixit ei Dominus : « Orare me debent ut dem ipsis oculos intelligentiæ, quibus me et omnia illis salutaria videant, et vere agnoscant ; aures obedientiæ, ad omne imperium et prælati sui voluntatem paratas ; os quoque sapientiæ, quo laudem meam semper proferre, et quæ proximis congruunt, docere et loqui sciant. Postulent etiam cor amans sibi dari, quo me et omnia in me et propter me pure diligant ; manus autem bonæ operationis, ut omnia quæ agunt, intente faciant et studiose. »

Cum vero Litaniam pro ipsis fieret, vidit beatam Virginem et deinde singulos Sanctos, qui ibi nominabantur, flexis cum reverentia genibus pro ipsis Dominum exorare.